DE MORBIS GLANDULARUM SALIVALIUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE IX. M. IULII A. MDCCCXXXVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS HUBERTUS MOELTGEN
COLONIENSIS.

OPPONENTIBUS:
M. I. NETTEKOVEN, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
P. A. EULER, MED. ET CHIR. DD.
E. LIESE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

AVO PATERNO

OPTIMO, DILECTISSIMO

PAUL. JOS. MOELTGEN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. QUAEDAM DE ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA GLANDULARUM SALIVALIUM.

A. De structura glandularum salivalium.

Glandulae salivales, quarum affectiones morbosas hic respicimus, sunt hae:

1. *Glandula parotis.* Sita haecce glandula prope et ante aurem interdum praedita est appendice parva (glandula successoria), quarum ductus communis (ductus Stenonianus) supra musculum masseterem transiens, musculum buccinatorium perforat, ita ut ejus apertura in genarum superficie interna supra primum dentem malarem animadvertatur.

2. *Glandula submaxillaris.* Posita est haec glandula in utroque angulo maxillae inferioris interno infra musculum digastricum. Ductus ejus excretorius (Whartonianus), musculum mylohyoideum transgrediens, ad latus inferius linguae ejusque frenulum progreditur, quo praesertim majore salivae co-

pia adfluente interdum ejus apertura uti papilla parva percipi potest.

3. *Glandula sublingualis* in utroque latere infra linguam jacet. Plerumque plures ductus minores (Riviniani) ex ea extus veniunt et aperturas habent minimas infra margines linguae sitas. Sed haud raro etiam omnes vel plures ductus conveniunt in ductu communi (Bartholiniano), qui eandem habet directionem ac ductus Whartonianus, quem prope aut aperitur in frenulo linguae aut quocum confluit, ita ut eis eadem sit apertura.

Pancreas ejusque morbi, quum saepius jam tractati sint atque latius, ideoque eorum cognitio magis pateat, quumque et ipsi soli materiam praebeant sat largam dissertationis conscribendae inauguralis, eos hic praeterire mihi in animo est et glandulas solum, supra jam enumeratas, earumque affectiones morbosas in hocce opusculo tractare.

In mammalibus glandula salivalis, ut *Weber* et *Joannes Mueller* (1) observarunt, primum cernitur canalis simplex ex ore prodiens, quasi gemmas agens in germine gelatinoso (blastema). Formatione progressa canales illi magis magisque se ramificant, blastema contra semper minuitur. Singuli tantum lobuli adhuc existunt et postremum ramificationibus semper

---

(1) De glandularum secernentium structura penitiori. Lipsiae 830. tab. VI. fig. 9. 10.

crescentibus plane absorbetur (1). Hac igitur prima jam glandularum salivalium formatione canales salivales apparent in semetipsos revertentes neque aperturis praediti; at in adultis quoque vesiculae, quae in finibus microscopicis canaliculorum minimorum salivalium exstant, e ductu excretorio glandulae mercurio injici possunt, quod experimentum instituit *E. H. Weber* in homine, in cane *J. Mueller*. Cellulae minimae parotidis vasorum sanguineorum minimorum magnitudinem ter circiter superant (2).

B. De glandularum salivalium secretione.

Cellulae illae glandularum salivalium, a rete vasorum sanguineorum tenuissimo circumdatae, eorum sanguinem imbibunt, commutant et mutatum intus versus ductus excretorios mittunt. Hoc non sola imbibitione sed parietum secernentium actione fieri, facile intelligitur, copiam si respicis salivae ex irritata glandula salivali profluentem.

Quantam in omnes secretiones, ita et in glandularum salivalium secretionem, vim exerceant nervi, experientia quotidiana docemur. Notum est, minuta nervorum actione in stadio frigoris febrium secretiones omnes non solum minui, sed etiam eas singulis, quibus consistant partibus chemicis plus minusve privari, tur-

---

(1) Mueller l. c. tab. VI, fig. 11, 12.

(2) cf. J. Mueller, Handbuch der Physiologie des Menschen Koblenz 1834. I. 2. pag. 425.

gore autem redeunte illas quoque iterum inveniri. Eodem modo cognitum habemus, salivae secretionem non solum cibis in ore augeri, verum etiam omnes animi affectiones maxime in salivationem agere. Ad moderandam salivae secretionem et nervi cerebro-spinales et sympathici apti videntur. Constat enim ramificatio nervi lingualis in glandulis submaxillaribus et sublingualibus. *Arnold* (1) ganglii submaxillaris ramos magis ductui Whartoniano proprios et in excretionem salivae referendos esse censet; glandulae autem ipsius functionem pendere a ramis sympathicis, ejus arterias comitantibus (2).

De copia salivae in homine fistula salivali ductus Stenoniani laborante *Mitscherlich* (3) observationes communicavit. Tollitur salivae secretio, si musculi manducationem exercentes et lingua non moventur nec irritatio adest nervorum insolita; hisce contrariis provocatur et augetur secretio. Copia salivae e glandula parotide in homine sano infra horarum viginti quatuor spatium excretae gramm. 65—95 explet; saliva reliquarum quinque glandularum salivalium ex ore ejecta illam copiam sextuplo superat (4).

---

(1) Der Kopftheil des vegetativ. Nervensystems. Heidelberg 1831.

(2) cf. J. Mueller l. c. pag. 453.

(3) Ueber den Speichel des Menschen. Rust's Magazin 1832.

(4) cf. Mueller l. c. pag. 492.

Quod chemicam conditionem salivae humanae attinet, praestantissima exstant a *Berzelio* (1), *Gmelin* (2) et *Mitscherlich* (3). Saliva oris tenax est mixtio salivae cum muco. Quam si in vase alto et angusto colligis, sensim sejungitur in fluidum superius clarum, haud coloratum, in inferius insuper massam albam, non pellucidam, continens. Salivam si aqua diluis et concutis, mucus fundum omnino petit. Multum autem differt saliva quoad indolem acidam vel alcalinam. *Mitscherlich* in fistula salivali invenit salivam inter edendum et bibendum et jam post primum morsum alcalinam, praeter hoc tempus acidam.

II. DE MORBIS GLANDULARUM SALIVALIUM IN GENERE.

A. Diagnosis.

Morbi glandularum salivalium partim statu et conditione glandularum ipsarum, partim quantitate et qualitate salivae dignoscuntur. Si una tantum glandula vel pars ejus morbo affecta est et non amplius secernit, saliva a conditione normali non recedit. Praeterea secundum naturam morbi praesentis doloris vehementia variat et symptomata localia et universalia plus minusve expressa sunt. Si pars morbo

---

(1) Thierchemie. 1831.

(2) Tiedemann u. Gmelin, die Verdauung nach Versuchen. Heidelberg 1826.

(3) l. c.

affecta adhuc secernit, saliva partim normalis partim degenerata apparet. Gradus morbi minus dolore quam laesa functione et ubi status morbosus cum vitio conformationis conjunctus est, illius symptomatibus physicis plus minusve evolutis dignoscitur.

Morbi parenchymatis glandularum salivalium a morbis involucri illarum dolore vehementiore, secretione salivae turbata et, si manu tentas, conditione propria facile dignoscuntur.

Si ductus salivales morbo laborant, directio doloris et tumoris ac sensus ille tensionis et doloris, quem saepissime in ductibus excretoriis obturatis observamus, diagnosin praebeat. Quando simul degenerationes adsunt, respiciendum est, utrum ad eas referendae sint, quae, uti hydatides et scirrhus, multo magis in parenchymate quam in ductibus excretoriis inveniuntur.

Morbus excretionis salivae a morbo glandularum salivalium ipsa natura differt eo, quod ille solummodo cognitionem excretionis turbatae, hic quoque cognitionem status, qui subsit, ad constituendam diagnosin requirat. Tum morbus excretionis salivae non solum in parenchymate, sed in sanguine et in ductibus salivalibus causam habere potest (1).

---

(2) cf. Nasse, Handbuch der spez. Therapie. Leipzig 1832. I. 2. pag. 285.

B. De influxu incongruae salivae secretionis in corpus.

Saliva ad digestionem magni refert, quo fit, ut cibi, non bene manducati et saliva parum mixti, difficiles sint digestu. Jactura salivae, uti accidere solet in sputatoribus (1) et tabaci bibulis (2) permulta et varia incommoda gignit ex laesa digestione. Prae omnibus abolitio appetitus vel anorexia inducitur, atrophia corporis, emaciatio ex defectu nutrimenti satis elaborati oritur. Pondus grave in ventriculo percipitur, alvus segnior est, obstructio et infarctus viscerum abdominalium ingruunt, corpus totum emaciatur et consumitur. ***Burserius de Kanilfeld*** hominem tali modo emaciatum sanabat eo, quod illum juberet non amplius salivam exspuere. Saepe eo, quod saliva exspuitur, fames per aliquot tempus depellitur, quo factum est, ut Americani, qui in magna alimentorum penuria versabantur, tabacum magni aestimare discerent. Quin apud nos prima fames saepe depellitur sugendo fumo tabaci (3).

---

(1) Jo. Casp. Kuchlerus diss. de saliva non temere exspuenda. Lips. 1741.

(2) Reichel, diss. de tabaco ejusque usu medico. Viteb. 1750. — Jo. Barthol. Siebold, historia systematis salivalis. Jenae 1797. pag. 142.

(3) Rudolphi, Grundriſs der Physiologie. II. 2. pag. 60.

III. DE MORBIS GLANDULARUM SALIVALIUM IN SPECIE.

Irritamenta adaucta.

Dignoscuntur excretione uberiore salivae, quae tamen non depravata est; simul irritamentum adest aut in ductibus salivalibus aut in sanguine aut in nervis aut in animo ipso. Solummodo si irritamentum vehemens est, sensus doloris accedit. Praecipua irritamenta, quae vim exercent in glandulas salivales sunt: sialagoga et inter haec mercurius et tabacum (1), tum animi pathemata, ira, liguritio et libido.

Irritabilitas adaucta.

Glandulae salivales tensionis sensum praebent et nonnunquam etiam doloris, sed neque rubent neque tument. Interna oris superficies sicca est. Si irritabilitas non tam valde aucta est et simul congestio accedit, excretio salivae uberior, saliva ipsa tenuis est. Si morbus vero gravius affligit et magis ad inflammationem inclinat, excretio minuitur et tandem supprimitur.

---

(1) Attamen persuasum mihi non habeo, fumum tabaci sugendo tantas oriri noxias quantas Siebold (l. c. pag. 142) protulit, qui ut bilem in bibulos omnem effundat, in fine capitis de tabaci bibulis: „vae" inquit, „illis hominibus, quos otium malum „et vita sine musis hanc artem turpissimam docuit. Mala vita est, „quae tota fumosa est." At causam hujus irae ipse in introductione narrat: prima fumi suctione nausea, vomitu, diarrhoea et capitis doloribus correptum huic consuetudini sese valedixisse.

Saliva saepe acrimoniam praecipuam praebet adeoque venenata fieri potest in animi pathematis gravioribus, ira vehemente, uti accidere solet apud animalia in hydrophobia. Saliva tali modo degenerata atque venenata tam proprio quam alieno corpori noxia est. *Gaubius* de gallo narrat, qui se ipsum morsu venenabat. *Rust* (1) casus collegit, in quibus homines, summa ira et cupiditate incensi, se ipsos vel alios mordebant et rabie corripiebantur. Verisimillimum est, talibus observationibus ortam esse opinionem, nunc quidem falsam rejectam, aquam tofanam e saliva hominum cruciatu confectorum parari (2).

Irritabilitas diminuta.

Quemadmodum varii sunt hujus affectionis gradus, ita et symptomata variant. Quando congestio simul adest, excretio salivae larga existit, saliva ipsa vel tenuis vel viscida est, excretio autem lenta, diminuta et suppressa esse potest. Dolor non sentitur; aegrotus magis queritur de quodam sensu frigoris et gravitatis, si malum gravius affligit et sensibilitas valde diminuta est.

Spasmus.

Quum contractilitas ductuum excretoriorum sali-

---

(1) Magazin. Bd. 1. S. 124.

(2) Rudolphi Physiologie II. 2. pag. 69.

valis glandulae observationibus et experimentis satis demonstrata sit (1), spasmus illorum ductuum non amplius sola est medicorum fictio.

Saepissime observamus excretionem repentinam salivae, cui fortasse hic status subest.

Rosinus Lentulus (2) narrat de medico amico, qui quum per longum tempus animo attento locutus esset, salivam quasi e siphone emicabat. Guttae salivae continuo in albissimam calcem concrescebant; cujus affectionis morbosae haud dubio causa fuit ista salivae degeneratio. Functio glandularum salivalium subito casu quodam suppressa semper pessimum est symptoma. In febri suppuratoria variolarum salivatio, quae adesse solet, repente supprimitur et evanescit et brevi mors subsequitur.

Paralysis.

Eam vere existere jam nunc dubitare non licet, quum spasmus ductuum salivalium constet. Saliva tenuis, larga per longum tempus excernitur. Partes, quae glandulam salivalem circumdant, praeter naturam laxae et flaccidae sunt. Hic morbus comitatur glossoplegiam veram, morbos cerebri organicos et antegressum continuum arsenici usum. Etenim hoc metallum salivationem, non quidem dolentem, tamen

---

(1) Mueller Physiologie. I. 2. pag. 457.

(2) Eph. Nat. Cur. Dec. II. ann. 4. pag. 311.

per menses durantem, causat (1). Casum, in quo salivatio simul cum glossoplegia apparebat, gustus autem non deerat, *J. P. Frank* (2) observavit.

Congestio.

Congestio aut conjuncta est cum irritabilitate adaucta aut cum irritabilitate diminuta. Illam vocant activam, hanc passivam. Dignoscitur in utroque casu excretione salivae uberiore, quae vulgo ptyalismus nominatur. Omnia quae congestionem ad glandulas salivales adducere possunt, illum quoque provocant. Causa aut in glandulis ipsis eorumque ductibus excretoriis inesse potest aut in aliis organis, quae consensum cum illis habent. Quum causae illae in morbis tractatis jamjam sint memoratae aut postea de iis adhuc erit sermo, restat ut pauca de causis salivationis in aliis organis sitis afferam. Frequentissimus ptyalismus in affectionibus primarum viarum earumque sequelis est. Sic in appetitu urgente et post jejunum longum saliva in ore largiter confluit. Si quis emeticum sumserit, aquosi humoris in ore confluxus certissimum instantis vomitus signum est. Ita et in sordibus sursum turgescentibus, in febribus verminosis et in variolis salivationes enormes saepe diuque protractas observamus. In iis, qui

---

(1) Albers, Lehrbuch der Semiotik. Leipzig 1834. pag. 318.
(2) De curand. homin. morb. lib. V. §. 495.

scirrho pylori (1) laborant et inflammatione ventriculi, aut scirrho pancreatis (2), salivatio augetur. Ex solis spasmis abdominis provenire videntur taediosae illae quandoque satis copiosae salivationes hypochondriacorum et hystericorum, de quibus jam *Hippocrates* dixit, eos vel esse vel fieri sputatores.

Ptyalismus periodicus observabatur in consensu glandularum salivalium cum genitalibus. In puellis primum menstruantibus salivatio oriebatur per triginta ad quadraginta dies perdurans et variis temporibus sine noxa sanitatis rediens (3). Sic et salivatio periodica post conceptionem ad partum usque durabat (4). Saepe in ipsa decima graviditate adfuit (5) cum affluxu lacrymarum periodico (6).— *Siebold* (7) ptyalismum epidemicum commemorat, qui anno 1694 in multis Germaniae locis grassabatur. Primo ineunte vere una cum variolis (8) confluentibus incidere coepit. Non solum homines sed et feles et canes corripiebantur.

Saepe per ptyalismum etiam crisis morbi fieri pot-

(1) Langguth, progr. de tabe sicca lethali in callosa pylori angustia. Vitemb. 1750.

(2) J. P. Frank l. c. lib. V, §. 493.

(3) M. de Ciliano in Act. N. C. vol. X. pag. 100.

(4) Ephem. Acad. N. C. Dec. III. ann. 3. p. 67. — Acta N. C. Vol. I. pag 90.

(5) Acta N. C. Vol. II. pag. 457.

(6) Ephem. N. C. Dec. II. ann. 8. pag. 229.

(7) l. c. pag. 89.

(8) Sydenham de variolis. sect. III. c. 2. pag. 83.

est; apparet ille tum sub finem morbi leni gradu sine magna virium jactura et sperare licet bonam resolutionem per vias salivales et, uti *J. P. Frank* (1) observavit, per plures hebdomades perdurare potest, quum simul symptomata leviora fiant.

Inflammatio.

Corripere potest et glandulam ipsam et telam cellulosam, qua illa circumdatur. Quando glandula ipsa inflammata est, dolores vehementiores adsunt, tumor tamen non tam late se diffundit. Brevius inflammatio resolvitur, facilius apparent symptomata febrilia magisque observatur secretio salivae turbata. Quando autem tela circumjacens inflammatione occupatur, intumescentia major adest, longe lateque sese extendens; dolor non tam vehemens percipitur, minus glandulae functio turbata est et inflammationis exitus vulgaris est suppuratio.

Morbus ille, quem Angli *Mumps*, Francogalli *oreillons*, Itali *orechioni*, Germani *Bauernwetzel* et auctores *cynanchen* vel *anginam parotideam* nominant, plerumque inflammatio glandulae parotidis aut telae ejus cellulosae habetur. Parotidem ipsam in eo affectam censent *Wichmann* (2), *Reil* (3); sedem

(1) l. c. lib. V, §. 496.

(2) Ideen zur Diagnostik. Hannover 1802. Bd. I. S. 129.

(3) Ueber die Erkenntnifs u. Cur der Fieber. Halle 1799. Bd. II, S. 453.

autem illius morbi in tela cellulosa ponunt *Morgagni* (1), *Siebold* (2), *Burserius* (3), *Hamilton* (4). Quando decursum hujus morbi infra accuratius describendum comparaveris cum symptomatibus, quae supra protulimus pathognomonicis, facile intelliges, plerumque telam cellulosam glandulae parotidis esse affectam. *Hippocrates* (5) morbum jam descripsit. „Multis, inquit, aurium tumores subnascebantur, qui in alteram partem vergebant, plerisque etiam in utramque iisque febri vacuis nec decumbentibus. Omnibus absque noxa extincti sunt, neque cuiquam velut ii, qui alias sui ortus habent causas, suppurationem fecerunt. Horum autem ea fuit natura, ut molles et laxi essent, magni, diffusi aut sparsi, sine inflammatione et dolore, omnibusque sensim et sine ulla significatione evanescebant. Fiebant ista quidem adolescentibus, juvenibus, aetate florentibus atque horum plurimis, qui in palaestra et gymnasiis exercebantur; mulieribus vero paucis contingebant. Multis tusses aridae et inanes, quibus tussi nihil educebatur, nec ita multo post voces raucescebant. Qui-

---

(1) De sedibus et causis morbornm. Ep. L. 27.

(2) l. c. pag. 71.

(3) Instit. med. pract. Lips. 1826. vol. III. cap. 15. §. 357. 365.

(4) Transact. of the Royal soc. of Edinb. tom. II. Uebers. in der Sammlung auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte. Bd. XIV. Stück 1.

(5) De morb. epid. lib. I. sect. I.

busdam vero ex temporis intervallo inflammationes cum dolore in alterum testem erumpebant. Alii quidem febribus corripiebantur, nonnulli vero sine febri persistebant."

Plerunque hic morbus hieme, saepius vere se exserit, quin ulla alia corporis labes praecesserit. Pueros atque adolescentes hoc morbo corripi solitos nonnulli tradunt. At quanquam illos huic malo magis obnoxios fateamur, experientia tamen compertum est, nullam quandoque aetatem sexumque nullum immunem ab eo esse, imprimis cum epidemicum est; nam interdum epidemici aut stationarii more vagatur. Quin imo velut endemicum quibusdam in regionibus esse dicitur. Subitas ut plurimum caloris in frigus mutationes et nivosas humidasque aëris constitutiones subsequitur. Saepe post aliquam vehementiorem corporis exercitationem aut frigus susceptum exoritur graviusque afficit fervido ac bilioso temperamento homines. Parotides primum leviter intumescunt, mox graviter et durae fiunt, dolore quodam tensivo molestae. Colorem cutis vix mutant, imo interdum leve integumentorum oedema exhibent. Interdum tamen tumor durus est et tensus, acriter dolet et rubore quodam quasi erysipelatode suffunditur. Praeter parotides simili tumore una attolluntur glandulae submaxillares et in nonnullis etiam illae, quae in collo sitae sunt, in aliis tonsillae ipsae occupantur, ita ut non modo manducatio, sed etiam deglutitio ipsa red-

datur difficilis. Tumor autem magnitudine varius est, modo planior modo eminentior et quandoque tantus, ut totam faciem effigiemque deformet. Ubi mitior morbus est, febrem nec movet nec aegros lecto addicit. Si vero gravius affligit vel cum febri incipit vel febris ad eum accedit, nunc parva, mitis, brevis, nunc magna et vehemens, quae interdum ad aliquot dies persistit, plerumque continua remittens, et vespere accessiones suas renovans. Id praecipue incidit quando malum epidemice grassatur. Interdum vis epidemica tam late diffunditur, ut ne convalescentes quidem ex aliis morbis praetereat. Detumescentibus parotidibus, praesertim maturius, nempe primis jam diebus, saepe evenit, ut tumor, qui parotides aliasque proximas glandulas tenebat, mira sane metastasi etiam sponte ad scrotum feratur. Quo casu non modo scrotum tumet, dolet et rubet, verum etiam alteruter testis et nonnunquam uterque phlegmone vera corripitur, febri tunc intentiore vehementioreque reddita. Interdum quoque testiculorum tumor subito minuitur et morbus metastatice fertur ad cerebrum. Aeger inquietus fit, febris novas facit exacerbationes, accedit capitis gravedo, subintrant deliria, convulsiones aliaque symptomata graviora et tandem mors subsequitur. *Hamilton* (1) plures ejusmodi casus observavit, quorum unus alia quoque ratione memoratu di-

---

(1) l. c.

gnus mihi videtur: In homine tumore glandularum salivalium laborante, ex refrigerio subito exortus est testiculorum tumor, praesertim testiculum dextrum occupans, qui brevi post sinistri circuitum duplo superabat. Tunc cerebrum affici incipiebat decedente testiculorum tumore; at vesicatoriis positis tumor ille testiculorum brevi restituebatur, quo cerebri affectiones, febris aliaque morbi symptomata sensim evanuere. Testiculus autem dexter morbo finito dimidio minor fuit quam esse solet. In diem adhuc decrescebat et postremo magnitudinem tantum amygdalae praebebat. Sensibilitas in eo maxime fuit adaucta, sicut et in funiculo spermatico, qui contractus fuit et digito tangenti durus apparebat.

Morbus in mammas (1) quoque metastatice transferri posse dicitur, quod vero *Hamilton* (2) nunquam observavit. „Exemplum, inquit, proferre nequeo, tumorem glandularum salivalium apud mulieres in mammas transiisse. Audivi quidem ex aliis hocce fieri posse, contendere autem nequeo. Sed ex mutatione testiculorum in viris probabilius videtur in mulieribus magis ovaria affici quam mammas. Certum autem hujus rei judicium ferre non audeo.“ — Quomodo ex hisce *Conradi* (3) aliique dicere possint, secundum *Hamiltonium* etiam ovaria affici, non intelligo.

---

(1) Selle med. clin.
(2) l. c.
(3) Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie. Marburg u. Cassel. 1831. Bd. 1. S. 191.

Laghi (1) observavit pueros impuberes et senes metastasi ad testes non fuisse obnoxios, mulieres vero quamquam hae rarius in parotidum tumorem inciderent, eo itidem detumescente doloribus lumborum et pubis correptas esse, ut si iis menstrua imminerent, quae utique impetu vasto erumpebant aut eorum loco pruritus et caloris sensus pudendum praeter consuetudinem invadebat. Praeter hasce metastasium species prope singularis est ea, quam *Protolongus* (2) in epistola ad *Burserium* notavit. Is enim tumoribus parotidum in aliquibus supervenisse scribit anasarca omnino similem illi, qui nonnunquam supervenit purpurae scarlatinae summa cum spirandi difficultate et febri acuta.

Vomitum autem iis supervenisse, quibus nulla ad testiculos metastasis contigit, narrant *Laghi* et *Burserius*. Vomitus superveniebat, etsi lingua pulchra erat neque os amarescebat neque appetitus deficiebat nihilque humoris depravati aut alieni sed solus potus aut cibus ventriculo restitans ejiciebatur, omnes tamen ab anxietate et inquiete, quam post potum et cibum patiebantur, plerumque liberabantur et conquiescebant. Quare ad spasticos potius ventriculi motus, quam ad cacochyliam vomitio ista referenda erit. Interdum etiam decedente parotidum tumore converso

(1) Comment. Bonon. tom. V. pars I. pag. 117.
(2) Burserius l. c. §. 361.

ad pectus pravo humore tussis aboritur, ut jam *Hippocrates* observavit.

En omnes, quae occurrunt et apud scriptores inveniuntur metastases hujus morbi, de quo illud *Burserii* (1) hucusque nondum impletum est: „Optandum quam maximum est, ut excellentium medicorum studia occasione data in veram hujusce morbi naturam incumbant. — Res enim adhuc obscura nec satis comperta multo plures postulat observationes, quam eae sunt, quas scriptores nobis in hunc usque diem reliquerunt.“ —

Suppuratio.

Adsunt in ea symptomata suppurationis universalia; praeterea autem adhuc dignoscitur e secretionibus partium affectarum. Primo enim tempore materia effluens conditionem praebet tenuem; suppuratione praegressa et si materia effluere non impeditur, magis purulenta est; quando abscessus ductus glandularum excretorios premit, illorum excretio plane deest. Glandula ipsa suppuratione affecta valde dolet, largior tum secretio. Suppuratio telae cellulosae minus dolet, latius autem sese extendit et plerumque in abscessum abit. Mirum est, anginam parotideam tam raro in suppurationem transire. Inter casus, quos tractavit innumeros, *Hamilton* semel tantum abscessum telae cellulosae circumjacentis in illo morbo ob-

---

(1) l. c. §. 365.

servavit. *Hippocrates* (1) quoque dicit hunc morbum nunquam suppurationem fecisse. Hoc quidem certat pro sententia eorum, qui sedem morbi in tela cellulosa quaerunt.

Induratio.

Inflammatione praegressa glandula non tumefacta, at dura est. Aeger dolorem sentit pungentem, tensivum, injucundum; secretio salivae sublata est. Glandulam ipsam si occupat induratio, difficillime tollitur, saepe per totam vitam perdurat et non nisi manu chirurgica auxilium fertur. In tela cellulosa induratio latius diffusa est et facilius emolliri potest.

Mollities.

Observationes, quibus accuratius symptomata hujus morbi cognoscere possimus, non exstant. In suspicione duntaxat eam habere licet, si inflammatione praegressa symptomata ejus minuuntur, at non plane evanescunt; praesertim si glandularum salivalium functio semper adhuc turbata manet, tumore detumescente dolor non aeque cessat et praeterea suppurationis et indurationis signa desunt.

Gangraena.

Signa inflammationis subito cessant, quin malum

(1) l. c.

melius reddatur. Loco doloris primum valde adaucti mox sensus hebes, premens et tensivus apparet. Color cutis superjacentis pallidior et lividus fit. Tumor mollis, flaccidus tangitur neque impressiones tactu ortae restituuntur. Excretio salivae sublata est; at morbo praegresso et destructione semper crescente ichor profluit tenuis foedique odoris.

Hypertrophia.

De glandularum ipsarum hypertrophia nil notum est. Adeps tamen texturae cellulosae glandularum salivalium undique intermixtus quandoque ita interstitia implet, ut lipomatosam degenerationem subeant atque ad enormem magnitudinem crescant (1).

Calculi.

Qui in parenchymate siti sunt quamdiu in ductus excretorios non agunt, symptomatibus carent. Quando in ductus pervenere, sensum movent pressionis, tensionis. Salivae excretio a norma recedit et fistula sic dicta salivalis oritur. Calculi salivales ut oriantur, necesse est, salivam abundare materia terrea. In qualitate salivae, sicuti occurrit in casu supra narrato (2) calculorum formatio facile intelligitur. Numerus calculorum variat; vel plures sunt vel unus

---

(1) Siebold l. c. pag. 73.
(2) pag. 14.

tantum adest. Figura et forma calculorum salivalium irregularis perquam variat; interdum calculi nucleo prunorum vel pisis vel nuci avellanae similes sunt. Caeterum superficies plana vel inaequalis multis tuberculis praedita est. Color albus ex luteo albicans et colori cancrorum lapidum similis in calculis salivalibus observatur. Texturae quoque ratione calculi salivales variant. Vel dura vel spongiosa ita est, ut a pistillo presso facile in duas partes dilabantur calculi. Interdum nucleus intus adest (1).

Calculi, quibus apertura ductus Whartoniani obstruitur, morbum adducunt haud raro observatum, de quo nunc mihi pauca afferenda sunt.

Ranula (2).

Tumor est modo mollis, fluctuans, quasi pellucidus, modo durus et tensus, qui infra linguam jacet, primum parum dolet, crescendo autem manducationem et loquelam difficiliores reddit. Remediis non adhibitis tumor valde augetur, maximam oris partem occupat, attollit linguam, dentes incisivos extus premit infraque mentum sentiendus est. Morbo tali modo praegresso gravissimae adsunt molestiae, tumor valde dolens facile inflammátur et in suppurationem transit. Interdum ranula non versus cavum oris sed deorsum

(1) Siebold l. c. pag. 95.

(2) Breschet, Mémoire sur la grenouillette; in: Journal universel des sciences médicales. Décemb. 1817.

tumorem mittit, qui infra mentum et in parte anteriore et laterali colli situm habet et cum abscessu confundi potest. Originem ducere potest ranula ex inflammatione, ulceratione et, ut supra jam diximus, calculis salivalibus, quibus apertura ductus Whartoniani obstruitur. Saliva tum retenta ductum illum in saccum extendit, qui cum tunica interiore oris obiter tantum cohaeret. Tumore aperto aut materies magis albuminosa aut fluidum viscidum, fuscum, quandoque calculos continens effluit.

De induratione simplici, quae inflammationem acutam sequitur, quum supra jam locuti sumus, nunc eas considerabimus indurationes, quae aut constitutione morbosa corporis oriuntur aut non in glandula ipsa sedem habent. Sunt autem:

Scirrhus.

Tumor haud magnus, eburneus, in superficie inaequalis, striis singulis et multis tuberculis praedītus, haud mobilis, non tam late longeque sese extendens, sed magis fundum petens, vasa ac nervos comprimens indeque salivae secretionem supprimens, doloribus lancinantibus degenerationem glandularum salivalium scirrhosam manifestat. Si una tantum glandula scirrho affecta est, reliquae glandulae sanae ejus loco funguntur, quo fit ut ptyalismus in scirrho glandularum parotidum observetur. Nunquam vero parotis scirrhosa cancro tentari videtur (1).

(1) Chr. C. Lerche, Obs. de cancro mammar. Gott. 1774. p. 12.

Sarcoma.

Tumor duritie eburnea, qualis in scirrho est, caret; ne illam quidem praebet, quam in induratione simplici observamus. Raptim ad magnitudinem insignem crescit, cum partibus subjacentibus non cohaeret, quo fit, ut moveri et etiam quasi e fundo tolli possit.

Fungus medullaris.

Tumor existit, qui brevi ingentem magnitudinem nanciscitur. Si aperitur, excrescentia fungosa proveniunt, quae saepissime sanguinis profluvia causant.

Tumores cystici.

A tumoribus hucusque descriptis tumores cystici, qui aut glandularum parenchyma aut earum telam cellulosam occupant, eo differunt, quod plerumque formam habent rotundam, superficiem aequalem. Quandoque eorum superficies anterior compressa est. Caeterum tumores non aequaliter formantur, tactu molles sunt et sensum fluctuationis obscurum praebent; secretionem salivae turbant ejusque excretionem haud raro tollere possunt. Quando apparet glandularum lymphaticarum tumor, tunc semper plures glandulae simul tument. Tumores molliores sunt signaque scrophulosae dyscrasiae valent.

Ulcera et fistulae.

Saepissime salivae copia nimis magna cavum oris irritat, et inflammationem adducit, qua temperies localis maxime adaugetur et pustulae parvae exulcerantes apparent. Eodem modo ulcera in tela cellulosa glandularum oriri possunt, quae sese aperiunt aut extus aut in cavum oris. Saliva interdum muco vel sanguine mixta effluit. Ductus excretorii saepius laeduntur et dilacerantur vel vulnere vel abscessu, et exulceratione corroduntur. Saliva tum extus profluit, fistula sic dicta salivalis oritur. Ductus Stenonianus in vulneribus, quae buccis vel pungendo vel caedendo infliguntur, facile laeditur et salivae excretio incongrua fit, atque, nisi manus adhibetur, frequenti fluxu supra buccas manat. Rariores sunt fistulae in ductu Whartoniano. Interea hic frenuli linguae solutione, incaute facta, salivatione dein frequentiori, laedi potest (1). Si fistulae salivalis causa existit in obstructione ductus calculis, tumor fluctuans secundum directionem ductus salivalis, in diem crescens et salivam secernens percipitur.

---

(1) Galen. de utilitate partium, L. XI, cap. 10.

V I T A.

Natus sum ego, ***Paulus Hubertus Moeltgen***, Coloniensis, die tertio mensis Octobris anno MDCCCXIII. Patrem *Antonium* jam dudum defunctum lugeo; matrem *Catharinam* e gente ***Renner*** divina gratia adhuc sospitem veneror; fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis in paedagogio, quod in patria urbe ducibus *Schumacher*, fratribus, imbutus gymnasium catholicum ibidem adii. Postquam per annos sex in illo commoratus fui, examine, quod discedentibus est subeundum, superato, autumno anni MDCCCXXXII almam litterarum universitatem Rhenanam petii, ibique Ill. *Walter*, Rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. *Mayer*, Decanum spectatissimum, nomen professus sum. Per tres annos, per quos in hac academia versatus, hisce et philosophicis et medicis interfui praelectionibus: De encyclopaedia philosophiae, de logice et psychologia audivi Ill. *van Calker*; de trigonometria, de geometria analytica, de sectionibus conicis, de calculo differentiali ac integrali Beat. *Diesterweg*; de functionibus algebraicis, de astronomia Beat. *a Muenchow*; de physice experimentali, de chemia experimentali et analytica, de zoochemia Ill. *G. Bischoff*; de botanice universali et de systemate plantarum naturali Ill. *Treviranus*; de zoologia et zootomia Ill. *Goldfuſs*; de mi-

neralogia Ill. *Noeggerath*; de geographia physica Cel. *a Riese*; de encyclopaedia et methodologia artis medicae, de pathologia speciali, de morbis syphiliticis Cel. *Albers*; de anatomia generali, speciali et comparata Ill. *Mayer* et Ill. *Weber*; de physiologia Ill. *Mayer*, qui dux mihi fuit una cum Ill. *Weber* etiam in dissecandis cadaveribus; de materia medica Ill. *E. Bischoff*; de chirurgia, de operationibus chirurgicis, de fasciis applicandis, de oculorum morbis, de anatomia chirurgica Ill. *Wutzer*; de therapia generali et speciali nec non de physiologia et pathologia cerebri et nervi sympathici Ill. *Nasse* sen.; de arte obstetricia, de mulierum morbis Ill. *Kilian*; de anatomia pathologica Cel. *Nasse* jun.; in practicis exercitationibus duces mihi fuere in clinico propaedeutico et therapeutico Ill. *Nasse* cum filio.

Autumno anni MDCCCXXXV in hanc universitatem illustrissimam me contuli, et Ill. *Busch*, rectore magnifico, Ill. *Mueller*, decano spectatissimo in civium academicorum numerum receptus sum.

Scholis clinicis interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum *Juengken*, *Wolff*, *Rust*, *Barez*, *Truestedt*, *Busch*, *de Graefe*.

Jam nihil antiquius habeo, quam ut praeceptoribus, quos Viros praestantissimos omnes, optime de me meritos, summa veneratione colo, meritas grates persolvam.

THESES.

1. Omnia corporis organa vasa habere a nullo adhuc comprobatum est.
2. Motus sanguinis per vasa capillaria sola fit vi cordis.
3. Vasa serosa non existunt.
4. Sanguis vim propriam propulsivam non habet.
5. Scrophulosa cum tuberculosa dyscrasia male confunduntur.
6. Nullus sic dictus morbus psychicus, quin ex affectione corporis.
7. Affluxus sanguinis ad organum quodcunque illius functioni magis nocet, quam juvat.